



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XLVII. In Domin. XVIII. Post Pentec. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. Arg. Antidotum efficacissimum contra morbos.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XLVII.
IN DOMINICA XVIII. POST PENT.

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,

Matth. 9.

ARGUMENTUM.

Antidotum efficacissimum contra
morbos.

I. **P** Analyticus olim Christo Domino præsentatus, meæ, hodiernâ luce, unâ cum aliis ægrotantibus, curæ committitur. Aud.

Quid ago? Amando? Ferreorum viscerum vir proclamabor. Mederi attento? *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Latent me radices morborum, ac discrimina, fugit experientia, ignoro, quæ pharmaca proficua, quæ noxia. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Desunt catapotia, malagmata, panchresta; desunt non externæ duntaxat, sed & domesticæ herbæ salutariferæ. *Non sum medicus.* Si forsitan alicui curam adhibere præsumptero, vereri cogor, ne cum alio siderato cir-

cumforaneo, quod vertici proficit, plantis applicem, aut quod officit pectori, aut pulmonibus, in remedium præscribam. *Non sum medicus.* Non est status, aut conditionis meæ, circulatorum, aut Machaonem quemvis alium profiteri. Quid ago itaque, aut quò me verto? Ne omnino curam languentis deposuisse videar, alios hac in arte versatissimos accersere adnitar; ratus, quod illi decreverint, vos approburos, & cunctis ægrotantibus eorum aphorismos præfuros.

Isa. 3. 7.

PARTITIO.

NE quidpiam intentatum relin-
quam, primùm profanas consulam
Scholas, tum ad sacras me conferam.

§. I.

Consulitur Schola Salernitana.

II. EX illis Salernitanæ, tum ab aliis
scientiis, tum ab arte Medicinæ
celeberrimæ Aphorismus est:

*Quòd si defuerint medici, medici tibi
hæc tria fiant:*

*Mens hilaris, moderata quies, mo-
derata diæta.*

*Schola Sa-
lernitana.*

*Sanitati
prodest læ-
titia.*

Conducit imprimis ad sanitatem,
non tam vultum, quàm animum ad ju-
stæ lætitiæ exporrexisse amœnitatem.
Efficacissima hæc morborum medicina
est, quâ solâ bene multi ægritudinum
contagia declinarunt, ætatemque in an-
nos decrepitos prorogarunt. Cælo ani-
mum nostrum consimilem volunt, cor-
pus, utique de pulvere formatum terræ.
Facite illud profligatis tempestatibus,
innubi supercilio contueri terram, actu-
rum cuncta reviviscunt, animantur, ro-
borantur; erigunt depressum verticem
herbæ, explicant coronas suas flores, læ-
sciviunt per prata virentia agnelli, om-
nibus vis, omnibus robur, omnibus vita
quadantenus infunditur. Jam vertite
rotam, & facite idem densiore involvi
caligine, peplo lurido faciem principis
astrorum obducere, aut pruina adure-

re, aut frigoribus decoquere, labascens
omnia, tabescent, emortientur. Peræ-
qua conditio animi nostri est, ridente
eò rident, vigentque univèrsa in homi-
ne, lugente eodem tabescunt, & de-
ficiunt.

Quod dogma, non tam hujus scholæ
partus est, quàm sapientissimi Regis Sa-
lomonis ore editus. Ita enim ait: *Ani-
mus gaudens floridam facit ætatem. Spi-
ritus tristis exsiccat ossa.* Nolite mirari,
quòd hic palleſcat, contrahatur, marce-
ſcat, tabeſcat; ille autem vigeat, floreat,
nec canum pilum ostendat. *Animus e-
nim gaudens floridam facit ætatem. Spi-
ritus tristis exsiccat ossa.* Ille ideo floret,
vigétque, eò quòd nulla ei amaritudo
dominetur, nulla eum fallant vota, nul-
li conatus excidant, omnia illi de me-
liore formentur metallo, omnia illi op-
ratam elaborent beatitatem. Si quid-
piam sinistri accidat, id susque deque
habet, in lætiores frontem componit
animum, & faustiora quævis, tanquam
fatidica avis occinit. At hic continuis
maceratur curis, si minimum à nover-
cante fortuna telum infigatur, eodem
torquetur, excruciat, de se actum exi-
stimat. *Animus gaudens floridam facit
ætatem. Spiritus tristis exsiccat ossa.* Ideo
ille vitam suam in sæculum, aut ultra
propagat; hic ante tempus, prope sui-
met redditus carnifex, toxico tristitiæ se
conficit. Nam ut ait idem: *Multos occi-
dit tristitia, & non est utilitas in ea.* Tri-
stitia, & mæror, non modò non mede-
tur languori, sed ægrotantis animi vul-
nera duplicat, nec procliviorè via qui-
spiam fertur ad undas, quàm si Agero-
næ, ac luctibus incessanter immolet.

Ratio

*Prov. 17.
v. 22.*

*Tristitia
hominem
necat.*

*Ecclesi. 30.
v. 25.*

Valef. sacra
Philos. c.
72.

Ratio Medicorum, ac Physicorum est, quod animus gaudens non tantum in se ipso invalescit, exultantis animi jubilò; verum insuper gaudii sui fluctus per naturalem sympathiam in corpus exonerat; quibus spiritus vitales acuuntur, illudque vividum, floridum, ac sanum efficiunt. Ex adversum interor cor contrahit, spiritus deprimit, frigus inducit; quo fit, ut humor vitalis ossa, medullas, cæteraque membra irrigans, ac vegetans, deficiat, siccetur, & homo tabescat & pereat. *Multos occidit tristitia*, quam si pro virili averruncare contendissent, neutquam tam propere Lybitinæ succubissent. Quocirca si unusquisque exhorrescit carnifex esse sui, meritò itidem expavescere debet, ne per tristitiam vitæ sibi à Deo præstitutæ lineam intercidat.

Quies moderata proficua.

III. Juvat, subdunt iidem, maxime opere discreta corpori concessa indulgentia. Non semper sanitas super transstra, aut aratra inambulat; non semper ferreas tractat incudes; suæ illi sunt ferriæ, sua saturnalia deputata. Si in una manu tenet arcum, in altera chelym præsefert; si in una ligonem ad fodendum, in alia scipionem ad deambulandum ostentat; si in sinistra securim portat, in dextra pilam vibrat; si in illam sputat, in ista sese refocillat. Et enim, ut perbellè Tomitanus occidit:

*Ora corpus alunt, animus quoque
pascitur ipsis,
Hæc reparant vires, fessaque membra
levant.*

Ovid.

Hæc arcum antehac nimium intentum solidant; hæc agros, & bruta fecundant, hæc enervatas oneribus medullas pristino restitunt vigori. Tolle quietem ab arcu, & flaccescit, ab agris, & sterilescunt; à brutis quibusve, & abortiva erunt; ab hominibus, & contabescunt. *Quod enim caret alterna requie, durable non est.*

Temperantia salutis cooperatur

IV. Nihil denique definiunt iidem Æsculapii, in tantam sanitati ancillatur; nihil ita ad sensuum vigorem, & acumen cooperatur; nihil tantopere ægritudinem profligat, ac cibi potusque parsimonia, quam vulgò dietam dicimus. Hæc enim securissima omnium medicina est, & citra violentiam adhibetur. Hæc, si quempiam ægritudo tentare occæperit, exhaurit humores noxios, sanguinem clarificat; totum corpus sentinam infirmitatum evacuat. Et quemadmodum exundantia ciborum fastidium ingenerat, nutabundum animum, ac corpus efficit, innumeræque morborum genera invehit; ita abstinentia morborum sentinam exhaurit, radices excaudicat, & corpus pristino restituit vigori.

Liquidissimum id facit Ecclesiasticus, dicens: *In multis escis erit infirmitas, & propter crapulam multi perierunt. Qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Notum, inquit, vobis, compertumque est, quam ob rem hic, & ille immatura morte obiit, calidum nimis, siccumque jecur habuit. Manifestum, quod hic, atque ille uxorem suam desolatam, afflictam, angustiis pressam dereliquerit, ob unicum vini, potusque

Eccli. 37.
v. 33, 34.

exuberantiam. Liquidum quin etiam alios bene multos ad decrepitos usque annos vitam extendere, ob solam potus, cibique parsimoniam. Qui enim edendi, ac bibendi officium ventris plenitudine meriuntur; quod illis Numen contulit ad vitam tuendam, in suam vertunt pernitiem. *In multis escis erit infirmitas; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Multitudo epularum, ac cupediarum varietas, non modò morbos, sed & mortem ingenerat. Vis sanitatis tuæ rationem habere, alimentis perinde, ac pharmacis utere, nec quantum orexis appetit; sed quantum sana persuadet ratio, deliba.

Sapientissima, & quotidiana comprobata experientia consilia sunt ista; quibus innumerati nixi, vitam, ad centenos & supra annos protraxere.

Veruntamen pace istorum Consultorum dixerim, usus his omnibus paralyticus meus est, nec tamen pristinè redditus sanitati. Quippe ne accessus melancholice pateat, decumbit in Capharnaum, loco amœnissimo, & ut Etymologiâ nominis utar, in campo voluptatis; in emporio mille voluptatum theatris famatissimo; in loco, quem & regionis gratia ad jucunditatem, & aëris innocentia ad oblectationem, & terræ virginitas ad hilaritatem meliorem pollice elaboravit.

Usus itidem quiete haud modica est, ne dicam nimia; & facile crediderim futurum fuisse, ne tanto intervallo stagnaret infirmitate, si identidem fluminis instar ferri, moverique potuisset. Nec contra Diætam deliquisse autumo; quum & morbus ipse nauseam ad

quævis edulia illi ingenerârit, & custodes corporis nactus sit exactissimos. Aliud proinde bonâ veniâ refugium querere, aliud consilium accersere cogor. Sed à quo?

§. II.

Schola Salomonis in consilium advocatur.

V. **A** Mundana, & Politica Schola ad Spiritualem Veteris Testamenti me confero. In ea Doctorum Alpha, qui à Cedris crescentibus in Libano, usque ad hyssopum, quæ sobotescit in pariete, disputavit Salomon, inquam, præsidet. Quid verò ille consilii suggerit? Audite: *Altissimus*, ait, *de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Majestas suprema, cujus potestati cuncta obnoxia, inscrutabili sua sapientia, de terra eduxit herbas salutaris, illa condidit pharmaca, illa indidit medicandi vim rebus creatis; vir autem prudens, qui bonum à malo novit discernere, ac justum cuivis statuere pretium, ne utiquam illam averfabitur. Etsi enim amarissimæ aloës portiones sint exhauriendæ; *Vir prudens non abhorrebit.* Si immedicabile membrum recidendum, ne pars sinistra trahatur, *Vir prudens non abhorrebit.* Si ferrum ignitum, aliave sufferenda: *Vir prudens non abhorrebit.* Altissimus quippe eo fine vim medendi herbis, lapidibus, metallis indidit, quatenus infirmitatibus nostris mederantur. *Vir prudens non abhorrebit.* Abhorrebit à sagarum, venefi-

*Medicina
commen-
datur.*

*Eccli. 31.
v. 4.*

veneficorumque characteribus, ac incantationibus, utpote quæ nullam à se, & non nisi à Cacodæmone virtutem habere queunt. Abhorrebit ab unguentis campanarum, ac patibulorum, à ligaminibus staminum, & crinium, quibus itidem non nisi Dite operante modicum corporis solacium, cum ejusdem sempiterno cruciatu sperare possit. Qui enim in Galenum eum adoptabit, quem vel pro hoc ipso facinore inferni sibi balnea succensurum, fricationes forcipibus ignitis adhibiturum, emplastra laminarum ardentium admoturum, syrupos pice sulphuræque succenso temperaturum non latet. Quæ conscientia sibi impostero persuadere possit Deo victurum, qui Sathanæ vitam suam abhinc in acceptis referre deberet. At verò non abhorrebit ab herbis, pulveribus, unionibus à Deo ipso in sanitatem ipsius redintegrandam ordinatis.

VI. Non erit socius ipsorum, qui nullam admittunt medicinam, vel Mammonæ parcentes, vel spem omnem in Deum rejicientes. Quantumvis enim spes in Deum bona, ac necessaria; incuria tamen, ac contemptus medicorum, ac medicorum à Deo præordinatorum, si adhiberi queat, perverfus. Perinde enim faciunt, ac si quis vestem, ac caligas laceras, non ad sartorem, sed ad ædituum deferret, aut ipse in aliquo Divorum tholo appenderet resarciendas ab ipso. Quod enim animæ corpus, id corpori indumentum est. Ut verò istud tibi insulsum videtur, ita

non minus lepidum illud reputandum. Et licet extra divinæ potentie pollicem non sit, quominus nutu minimo violatam redintegrare sanitatem queat, est tamen extra divinæ ipsius voluntatis rationes, ac providentiam, quominus id velit. Idcirco enim ordinavit media, ut iisdem summa, infimaque ad suum finem dirigerentur, eoque, concursu ipsius ordinatio potirentur. Quod si omnino de mediis conclamatum est popularibus, ipsius fuerit ad gloriæ suæ incrementum exorbitantibus aliis ad scopum dirigere deplorata. Quocirca ubi salus titubaverit, si sapias Deum tuum, invoca, & eo propitio, catapotis, pharmacis, unguentisque utere, si vires restaurare nutabundas, membraque delassata solidare concupiscis. Altissimus enim de terra creavit medicinam.

VII. Suffragor lubens huic oraculo Sapientis, & contestor fide integerrima, à supremo Numine condita medicamina, virumque prudentem nequaquam ea averfaturum. Profiteor itidem multis salutare fuisse medicinas, ac malagmata. Verum eadem remedia sæpe-sæpius incassum tentata, experientiâ magistrâ didicimus. Quid enim? Nonne Rex Assa vexatus pedum dolore vehementissimo medicorum arte nisus infaustum præmaturâ morte expuit spiritum? Nonne Hemorrhoiis à S. Luca celebrata, omnem prope suam substantiam in medicos dispensaverat, nec minimâ sanitatis recuperandæ aurorâ affulgente? Nonne et jamnum thermis, unguentisque nullo

suo

*Medicina
sæpe ineffi-
cax.*

*3. Reg. 15.
v. 10.
2. Paral.
16. v. 12.
Luc. 8. 43.*

suo commodo alii innatant? Nonne alia media, seu remedia citra ullum effectum adhibent? Numquid hodiernus paralyticus eos non consuluit? Verum, ut perbellè cecinit Naso:

Ovid.

*Non est in medico, semper relevetur
ut ager,
Interdum medica, plus habet arte,
malum.*

Medicini-
docti vespillones.

Sæpe inter medicos, ac vespillones exiguum discrimen est, utrique enim sepeliunt, sed majore pretio, & plerumque etiam damno illi. Vespillones sepeliunt eos, qui ne fœtore suo tellurem vitient, meritò humo contegendi sunt; at medici eos, qui viribus restituendi erant, ne sepelirentur. Discunt periculis aliorum, & experimenta doctrinæ, ac doctoratus sui per mortes agunt. Utinam scomma, non veriverbium foret! Solis impunè occidere licet medicis. Id serò agnovit Adrianus Cæsar, qui eo non nisi Epitaphio cineres suos exornare voluit: *Turba medicorum perdidit Cæsarem.* Quocirca hac in parte magis assentior Interpreti Chaldæo legenti: *Altissimus de terra inchoavit medicinam.* Ex terra auspicia sumuntur sanitatis, non coronæ; rudimenta, non complementa. Pro his consequendis, alia tentanda via est.

Turba Medicorum perdidit Cæsarem.

Quenam tandem?

* * *

§. III.

Remedium efficacissimum Pœnitentia.

IX. **V**la optima, securissima multorum comprobata experientia, quam tradit, & ostendit Schola Novi Testamenti. Quænam illa? Non alia, nisi Aloë pœnitentiæ. Hanc nimirum indicant verba Domini nostri: *Remittuntur tibi peccata tua.* Hæc est pharmacorum omnium præstantissimum. Singulæ animantes singula habent medicamenta, quibus ad salutem conservandam, aut redintegrandam utantur. Canis gramine, simus leo, viperis cervus, sus cancris fluvialibus sibi medetur. Hominum autem panacea est pœnitentia, remedium non quidem à Galeni Neopotibus celebratum, sed multò divinius institutum. Idem illa in animo facit, quod Aloë in corpore. Amara utraque est, & ut aloë expurgat ventrem; ita Metanæa animum expiat, & emaculat; ac ipsa amaritudine sua valetudinem conciliat. Verum in hoc omni aloë superior est pœnitentia, quod cum animæ medetur, unà etiam corpori sanitatem sæpiuscule conciliat; nec superficie tenuis malagmatis quibusdam foveat, sed intimas infirmitatis fibras, seu radices evellat.

Pœnitentia medicina efficacissima.

X. Quamvis enim identidem morbi proveniant ex malignanis cuspisiam qualitatis in corpore excessu; licet identidem ex naturæ vitiatæ radicibus pullulent; licet ex elementorum corrupta qualitate, aut varietate redudent; licet invidia

Peccatum radix infirmitatis.

diâ Diaboli sæpius intrent; licet à sagis, ac veneficis inferantur; licet à temeritate sese periculis exponentium proficiscantur; licet à DEO ipso ad probationem nostram, vel gloriam suam manifestandam promanent; licet alijs ex fontibus restagnent; attamen ut plurimum ex ipsis vitijs animæ in corpus sese effundunt.

Id ne tam ore, quam digito demonstrasse vobis videar, quæso vos vel mente (quoniam pedibus non vocat) non ad vile quodpiam Xenodochium, sed ad regium valetudinarium conferte. Occurret vobis imprimis Antiochus Rex insanabili plaga percussus. Videbitis illum fluctibus agitari tristitiæ, qui olim jucundus erat, & dilectus in potestate sua. Arbitrabimini gravissimis confectum doloribus vix membra sua levare, qui ante hac metuendus erat orbi. Animadvertetis illum in extremo versari vitæ periculo inter dirissimos dolores viscerum, & amarissima corporis totius tormenta, qui sibi aureos fallaci tripode annos sponderat. Nisi verò cum amicis Gobi præ stupore in sigaliones abieritis, scisci-temini. Unde quæso hæc mala ò rex Serenissime in caput tuum devoluta? Ex quo fonte hi fluctus mœroris in animum tuum exonerati originem traxerê? Quis calamitatum tuarum, ac tormentorum artifex? Reponet ipsemet; *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista. Non possum ulli alteri fama mente imputare extremam hanc*

calamitatem, quam avaritiæ meæ, superbiæ meæ, tyrannidi meæ, sacrilegijs meis. *Cognovi quia propterea invenerunt me mala ista.*

Visite si placet alium regem Judæorum Herodem nomine (nam alios infirmos pauperes forsitan invisere detrectabitis) audietis eum lentò calore torreti, atria boatibus implere, omnes ex Erebo furias advocare; videbitis pedes tumere phlegmate humidò corrosivò, ac pellucidò, corpus omne scaterere vermibus, accedente fœdissima, ac molestissima tentigine; deprehenditis podagram cholican, gallicam luem, & quidquid explicatu turpe est, in ipsius nidulari membris. Sentietis odorem gravissimum, perinde ac ex putridis cadaveribus, aut averno exspirantem, in tantum ut eum circumpedanei accedere perhorrescant, &c. Quærat hic quispiam vestrum ex circumstantibus (si desperandum non præsumit alloqui,) cur illi Deus tantopere mutatus in crudelem? Cur in duritia manus suæ adversetur illi? Respondit Josephus vir inter Judæos magni nominis: *Constans est inter divinos, ac fatidicos opinio, Regem, lese tot modio pietatis, Deo penas expendere. Propter enormia scelera sua, et sacrilegia, & homicidia tum infantium, tum aliorum justa Nemese vindicante, jam hic Acherontica libare tormenta coactus est.*

Herodis infirmitas & mors ob scelera

Joseph. lib. de bello Iud.

Ite ad alia (si tamen animus est) Nosocomia, Vario morborum discrimine laborantibus refertissima, quærite undenam ea monstra profluxêre? In quibus Arabiæ desertis prognata? Audietis oraculum Pauli, cum ob alia quævis crimina, tum vel maximè ob

Kkk

Antiochi morbus ob scelera

1 Mach. 12. 13.

abusum sacrae synaxeos multis even. sc.
 Nam cum indigne communicantibus
 grave iudicium Domini comminatus
 esset: *Qui enim manducat, & bibit indig-*
 1. Cor. 11, 29 *nè iudicium sibi manducat & bibit; con-*
 tra indispositos & frigidè accedentes
 fulmen detorquet: *Idea inter vos multi*
 1. Cor. 11, 30 *infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*
 q. d. Hæc est præcipua ratio ægritudi-
 num vestrarum, quod frigidè, & ex
 mera consuetudine ad mensam Domi-
 ni accedatis, quod vim, & virtutem e-
 jus non mereamini participare. vita illi-
 us vobis commutatur in morbum, im-
 mo & mortem. *Idea inter vos infirmi*
 & c. Panis quidem iste tortium est, vivi-
 ficans, & roborans, panis dans vitam,
 ac sanitatem lignum salutis ad im-
 mortalitatem inities; quod autem in
 vobis nec quicquam operetur, causa
 est, quod stomacho & animo perpe-
 ram affecto accedatis. *Idea inter vos & c.*

*Peccata
 causa Mor-
 borum*

Hanc eandem morborum causam
 adducit Ecclesiasticus dicens: *Qui de-*
 1. Eccl. 38, 2 *linquit in conspectu eius, qui fecit eum inci-*
det in manus medici. Qui non veteret
 DEUM præsentem lentiet medicum
 ferientem, ac scindentem. Qui pecca-
 re audet contra eum, qui dat vitam &
 Sanitatem ob id dignus est, ut si non
 vita minimū sanitate privetur, & mor-
 bis conflictetur. *Qui delinquit, & c.*

Iansen. h. l.

Quod si itaque morbi ex venenata
 plerumq; peccati radice pullulant, po-
 teritne aptior, aut efficacior adhiberi
 medicina in infirmitate, quam pœni-
 tentia peccatorum omnium interfe-
 ctrice? Nonne sublata causa tollitur
 effectus? Nonne excaudicatis radici-
 bus exarescere totam quantam arbo-
 rem necesse est?

Effare effare quæso Regum inclite
 Ezechia, quonam tu alexipharmaco vi-
 res perditas restauraveris? Novi quod
 jam dicta funeri tuo dies fuerit, quod
 jam jam in conclamata ægritudine fi-
 lum præcidendum. Cum ecce supra
 omnium spem surrexisti vegetus, tem-
 plum litaturus hostias Eucharisticas es
 ingressus, & vitam desperatissimam in
 tria lustra propagasti. Qua ratione?
 Nulla certe alia, præterquam amarissi-
 ma contritionis, ac lachrymarum alio.
 Flevit, ait sacer textus, *Ezechias, conversis* 1/a. 38. 4.
ad lectuli caput. Hæc medicina illius ex-
 titit; hæc sanctatem pristinam operata
 est, quemadmodum ipsemet in Eucha-
 ristico suo testatur carmine: *Tu autem* 1b. v. 17.
eruisi animam meam, ut non periret, pro-
jecisti post tergum omnia peccata mea.
 Tu Domine ex infinita misericordiæ
 tuæ abyfso, onus grave peccatorum
 meorum ex humeris deposuisti, & ex-
 templo cervicem surrexi, quem onus,
 ac languor depresserat. Tu virulen-
 tum vulnus animæ meæ sanasti, & ac-
 tutum tumor corporis resedit. Tu ani-
 mæ meæ peccatis emortuæ vitam in-
 spirasti, & ecce melius habere corpore
 occæpi. *Projecisti post tergum & c.* Effa-
 re hodiernæ paralytice cum alijs quot-
 quot à Domino sanitati pristinae red-
 diti, quo medio, qua via, quibus anti-
 dotis id factum sit? Quamprimum in-
 quit remisit nobis peccata nostra, & il-
 lico redit vigor membri, sanguis infu-
 sus venis, salus medullis. Salus animæ
 collata in ipsum redundavit corpus, &
 fiducia in Christum, ac pœnitentia ob-
 stricata est ad vigorem.


Unde Angelicus Doctor quæritans
 cur sanaturus dominus infirmos, prius di-

S. Thom. in dimiserit peccata ; responderet. *Certe*
Cat. *quia tollit causam, quia propter iniquitates*
eorum multiplicata sunt infirmitates
eorum. Idcirco Dominus in antecessum
 expiat animum, & sublata radice mali,
 bonum fanitatis integerrimum suble-
 queretur.

Frustra itaque ah frustra exotica, &
 eum dispendio divitiarum malagmata
 quærimus, hærente intus ferro, quo in-
 dies in deterius recrudescit malum.
 Frustra curiculam desuper inungimus,
 intus eam verme mala conscientia de-
 pascente. Incassum corpus afforis lo-
 ricæ instar emplastris incingimus, sce-
 leribus cor intus lethali ictu trajicien-
 tibus, Enea primum vermen medul-
 las exedentem, evelle ferrum intimis
 fibris radicum tum cataplasmatibus
 utere; tolle prius scelera intus grassan-

tia, si vitam prorogare salvam, & in
 concussam, quantum in te est, ardescis.
 Fac ut per sinceram exhomologesim,
 veramque contritionem remittantur
 tibi peccata tua, & tum demum medi-
 cinas adhibe. Sit salva prius anima &
 Deo auxiliante si tibi consultum fue-
 rit sanabitur & corpus. Erigatur illa
 brachiis fidei, spei, charitatis, surget
 istud pariter, tolletque grabatum su-
 um, statuendum in trophæum. Hoc sa-
 ne est, quod monet sapiens: *Fili in tua*
infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora
Dominum, & ipse curabit te. Averte à de-
licto, & dirige manus, & ipse salvabit te.
 Evoca Numen optimum ferventissi-
 mè in vota tua, ad ipsum mentem tu-
 am surrige, de peccatis tuis pœ-
 nitentiam age, & ipse salva-
 bit te. Fiat. Fiat.

Ecc. 38. 9.
10.




CONCIO XLVIII.

IN DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit
 nuptias Filio suo. Matt. 22.

ARGUMENTUM.

MATRIMONIUM AN SIMILIUS COELO,
 AC INFERNIS.

I.  Mnis similitudinis ra-
 tio, in hoc vertitur, ut
 in quo genere unum
 alteri confertur, in eo-
 dem alterum eidem
 respondeat. A. Quæ enim similia
 sunt, sibi invicem similia esse oportet.
 Si vir justus similatur arbori secus de-
 cursus aquarum plantatæ, arbor reci-
 procè eidem similabitur in ea ratione.
 Si filia divitum compositæ, & circum-
 ornata, ut similitudo templi; ergo &
 tem-